

se inductum. Si esset caro, non tam resisteret tactui, nisi ad callum iam peruenisset. Possum autem abscessum hunc tumorem etiam optime appellare, apostema Græcis dicitur. Hoc fit factis, quantum ad tumorem præter naturam. Locus est membrana, quæ immediatè contegit testiculum. Adest præterea dolor vertebræ coxæ dextræ, ischiadicus dictus. Est enim primò dolor ischij ab eo loco vsque ad genu, & inde ad talos, & habet ea omnia, quæ ponuntur in definitione ischiadis: quia est morbus articularis, & habet eandem rationem quam habent fluxus omnes ad aliquam partem. Quando fit defluxio, non oportet quærere, vtrum sit per consensum, an primario affectu. Potest esse defluxio dupliciter, ab vno membro ad reliquas partes corporis, vt à cerebro: aut ab vna parte ad aliam: in illa autem dicimus vitium esse. Nam in fluxione quatuor necessariò requiruntur. Membrum mandans: quod validum est, mandat sua excrementa ad loca affecta. Recipiens, quod debile est, & aptum ad recipiendas fluxiones. Tertio, requiritur materia quæ fluit. Quarto, viæ apertæ, quæ diligentissimè considerandæ sunt. Quantum ad imbecillitatem recipientis loci, fit eà vel ratione temperaturæ, vel compositionis malæ, vel solutione continui. Hic nulla est solutio continui propriè dicta, quod distingo contra malam intemperiem. Neque in compositione vitium. Non enim est dislocatio ossium, dislocatio insensibilis esse potest: ossa autem simul sunt compacta, relinquuntur igitur, vt sit intemperies, si consideremus causas præcætarcticas, sicut audimus hunc Reuerendum patrem incidisse in hunc affectum tempore hyemis, cum noctu surgeret. Longè autem facilius musculi lumborum expellunt, ex sententia Auic. 22. 3. quàm ligamenta, & ea, quæ sunt circa ossa: quæ postea dura sunt, in quibus materia hæret, quare difficillimè auellitur. Fuit tempus frigidum, non igitur mirum, si illæ partes facilius fuerint affectæ, ratione temperaturæ frigidæ: nam in habentibus symbolum facilis fit transitus, vbi semel debilitatæ sunt, & aliorum excrementa receperunt. Id postea subinde magis factum est, donec tandem per essentiam facta est læsio, & imbecillitas, vt reliquorum membrorum excrementa facilius reciperet, quia proprius locus in quo fiat excrementorum collectio non est. Et ideo concludimus, quod habet aliquid præter naturam, id quod adest per consensum, quia membrum mandans mandat, & inde est vitium in loco. Non est autem hic primogenius affectus, vt scilicet ita laboret membrum, vt in eo incæperit prima occasio. Mandantia membra sunt ventriculus, & repletum caput, ex quo per spondylos & nervos descendit materia ista crassa, per venas etiam aliqua alterius materiæ portio illuc peruenit, & istæ sunt viæ, per quas materia deducitur. Materia quæ fluit, est crassa pituita, ideo non facit insignem dolorem. Iuuatur etiam à calidis, melius enim habet æstate, quàm hyeme. Ita iam omnia apparent, circa considerationem morbi facientis dolorem obseruanda. Membrum igitur principale mandans caput,

A viæ, nerui & venæ. Locus autem recipiens est, vbi os femoris connectitur cum osse ischij. Materia est pituita. Cum igitur viderimus naturam horum symptomatum, ad curam accedendum. Incipiam autem eodem ordine, quo in indagandis causis vtor. Curantur abscessus, & tumores præter naturam, vel per operam chirurgi, vel per medicamenta. Vtrum autem opera manuali egeamus. Auic. de tertia specie herniæ dicit, quod quandoque materia decumbit ad partem illam scroti, & sæpe facit, vt tumorem abscindere, & eradicare debeamus. Donec tamen accederet tempus magis opportunum, tentarem medicinas omnimodo. Non fuit bene intellecta neque bene curata causa morbi: quia ligamenta apposit, & pro hernia curauit, quare exterius applicata remouenda. Ego vellem emollientibus & resoluentibus vti: pinguedinem porci, oleum amygd. dulci. myrrham, crocum, ammoniacum probo. Hæc omnia ponentur simul, & vnguentum de althæa, compositio diapalma nunquam satis laudata à Galeno cum oleo è Ruta. Tentarem omnem emolliationem, sed quia quandoque obstruuntur meatus cutis, optimum est, vt nunquam ponamus colliquantia, nisi etiam ponamus lenientia, vt ex decocto chamæmeli, althææ. Hæc enim penetrant ad profundum, & locus quoque mundus remaneret. Hoc modo nisi succedat, ad incisionem transeundum. Remedia communia contra ischiadem sunt, quæ respiciunt causas: quæ quatuor sunt in quolibet defluxu. Audio eum esse euacuatum: postea acutis clysteribus vsus est, vt eroderent etiam intestina: ob eam causam emplastica quædam addi oportuit. Aquæ Poretanam quoque bibit, quæ plurimum euacuat, quare non puto iam temerè aliquid superflui in corpore esse. Aquæ autem Poretanæ calidæ sunt, nec est differentia aliqua inter eas, & Patuinas in caliditate. Quare etiã nunc vrinæ tinctæ sunt, & plurimū mingit, quare meatus aperti sunt ab illa aqua Poretana. Si tamen aliquid ad hæc exhiberè vellemus, esset id flos cassiæ. Sed quia hæc accersiti sumus potissimū, vt consulamus, vtrum lutum balnei conueniat, & quib. balneis vtendū. Sunt in his balnea quæ emolliunt, sunt quæ resoluunt, vt S. Helenæ, sunt quæ astringunt, vt aluminosa. In fluxionibus duo faciendæ, euacuanda materia, & corrigenda dispositio facta in membro. Si materia fluens sit, interciperem eam. Sed quando est aliqua materia in loco fluxa, quæ facit symptomata, hæc indiget remotione. Antequam membra alterentur, prius emolliiri hæc debent, & resoluuntur. Concoquatur igitur ea materia, & deinde resoluatur: sed hic omnino cauendum est, ne nimis resoluatur, & quod bene fluidum est resoluatur, crassum autem remaneat. Emolliatione tantum peccare potius possumus, quàm resolutione. Resoluta materia, si calefacientibus indigemus, laudanda balnea sulphurea. Si tamen ea quærimus ad retinendum, quod sibi conuenit: astringentibus id fiat, & tunc aluminosis vterer. Bituminosa autem, vbi emollientia inquirimus. De cauterijs factis, procederem cum ijs, si tamè perseveraret fluxus, possunt rursus fieri in eodem loco.

Collegium